tus est, ne terreret discipulorum animos de se exemplum protulit dicens: quoniam
hoc quod scriptum est oportet impleri de me: quod et cum iniustis deputatus est.
Movet tamen adhuc quod duos gladios discipuli protulere; ne forte unum no
vi, unum testamenti veteris quibus adversus diaboli armamur insidias. Denique
dicit dominus satis est; quasi nihil desit ei quem utriusque testamenti doctrina munierit.
PATER si possibile est transfer a me calicem hunc. LXXXXIIII.
Herent plerique hoc loco qui tristitiam salvatoris ad argu
mentum inolitae potius a principio quam susceptae ad tempus infir
mitatis inclinant, et naturalis sensum cupiunt retorquere sen
tentiae. Ego autem non solum excusandum non puto, sed et nusquam magis pietatem eius
maiestatemque demiror. Minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum.
Ergo pro me doluit qui pro se nihil habuit quod doleret, et sequestrata delecta
tione divinitatis aeternae taedio meae infirmitatis afficitur. Suscepit enim
tristitiam meam ut mihi suam laetitiam largiretur, et vestigiis nostris descendit
usque ad mortis aerumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam. Con
fidenter igitur tristitiam nomino, quia crucem praedico. Neque enim speciem incarna
tionis suscepit, sed veritatem. Debuit igitur et dolorem suscipere, ut vinceret
tristitiam non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem qui stuporem
magis vulnerum tulerunt quam dolorem. Homo enim in plaga et sciens inquit
ferre infirmitates. Nos voluit erudire, ut quia in Ioseph didiceramus
carcerem non timere, mortem vincere disceremus in Christo, et quod est amplius
quemadmodum futurae mortis maestitiam vinceremus. Quomodo enim te imita
remur domine Iesu, nisi sequeremur ut hominem, nisi mortuum crederemus, nisi vul
nera vidissemus? Quemadmodum discipuli crederent fuisse moriturum,
nisi morituri tristitiam comperissent? Sic adhuc dormiunt et nesciunt
dolere pro quibus Christus dolebat. Ita enim legimus quia peccata nostra portat
et pro nobis dolet. Doles ergo domine non tua sed mea vulnera, non tuam mortem
sed nostram infirmitatem, et nos aestimavimus te esse in doloribus, cum tu non pro te
sed pro me doleres. Infirmatus enim es, sed propter peccata nostra; non quia illa tibi in
firmitas erat ex patre adsumpta, sed pro me suscepta, quae mihi proderat ut